



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

37. Tres Vituli & tres modij farinae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Præsidio Triadis Martem delusit & artem ;
En Jonathæ telis luderis ipse tribus.

SYMBOLUM 37.

David tertio cadens pronus in terram adorat Jonathan. Habetur apud Bedam loc. cit. ubi ait: per hoc signari cadentem in terrena quondam præcordia divini respectum amoris, ad adorandam hæc ardentius S. Trinitatis gloriam sedulâ compunctione provocantem.

Issææ sobolis quantus pater hostis & osor,
Hinc (a) natus Jonathas tantus amicus erat,
Aspice securum vitæ triplici indice telo,
Ter curvare genu, terquè levare solo.
Est Trias arcano quæ Numine temperat orbem,
Ira patris nocuit, profuit hujus amor.

(a) Nota Saül habuit tres filios, Jonathan, Jesui, & Melchisua. De quibus Beda in expositione alleg. in Samuel. lib. 2. cap. 10. tres filij Saul, inquit, magnos fidei catholica, quæ unum in tribus personis Deum prædicat, duces exprimunt.

SYMBOLUM 38.

David sedens in cathedrâ sapientissimus inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui 800. interfecit impetu uno. 2. Reg. 23. Habetur pro Symbolo SSS. Trinitatis apud Dion. Carth. enar. in 2. Reg. cap. 23. art. 34. ubi ait: Sapientissimus iste est Christus, Sapientia Patris, sedet in cathedrâ